

# FLORA.

55. Jahrgang.

Nº 32. Regensburg, 11. November 1872.

**Inhalt.** Dr. J. Müller: Lichenum species et varietates novae. Fortsetz. — G. Winter: Diagnosen und Notizen zu Rehms Ascomyceten. — Literatur. — Anzeigen.

**Beilage.** Repertoriu m für 1872, Halbbogen 2 a.

## Lichenum species et varietates novae,

auctore Dr. J. Müller.

(Fortsetzung.)

28. *Patellaria* (sect. *Catillaria*) *anisospora* Müll. Arg.  
Thallus tenuis, tartareo-farinosus, albidus, v. subnullus, sc. cum  
saxo conferruminatus et maculam albidi formans. Apothecia  
 $\frac{3-5}{10}$  mm. lata, elato-sessilia, basi substipitato-contracta, juniora  
prominenter crasse marginata, evoluta planiuscula, margine haud  
prominente cineta, sicca et madefacta undique aterrima et opaca.  
Lamina sporigera circ. 55  $\mu$ . alta, inferne hyalina, superne nigro-  
olivacea v. tenuior fusco-viridis; hypothecium latissime incolor;  
paraphyses tenues, superne crassiores et olivaceo-nigrescentes,  
haud moniliformi-articulatae; asci subcylindrici. Sporae in ascis  
octonae, 7—12  $\mu$ . longae, saepius oblongato-ellipsoideae, caeterum  
a forma fere globosa ad linear-ellipsoideam variantes, ambitu  
 $\frac{1}{3}$ — $\frac{3}{4}$ -plo longiores quam latae, hyalinae, 2-loculares, medio  
subinde leviter constrictae.

Lamina solutione jodina aquosa intense coerulescit et dein  
luride fusco-tinctitur. Habitus plantae ut in *Biatora picila*, in  
*Patellaria tristi*  $\beta$  athallina. A posteriore hypothecio hyalino,  
forma valde polymorpha sporarum et forma apotheciorum differt,  
et a *Catillaria fraudulenta* Körb. Par. p. 196 ex descript. recedit  
defectu protothalli nigri decussantis, apotheciis non adnatis nec  
nitido-marginatis et praesertim paraphysibus tenuibus valde con-  
gluinatis nec ullo modo moniliformi-articulatis.

Habitat in saxis dolomiticis montis Reculet prope  
Genevam.

29. *Patellaria* (sect. *Catillaria*) *riparia* Müll. Arg.  
Thallus minute suborbicularis, subtenuiter crustaceus, diffracto-  
areolatus, rimosus; obscure cinereus, ambitu effusus, hypothallo  
distincto limitante destitutus; areolae leviter convexae, opacae.  
Apothecia juniora sessilia, plana, margine proprio prominentे  
nitidulo cincta, dein tumiditate quadam areolarum thallinarum im-  
presso-sessilia v. semiinnata, fere immarginata,  $\frac{3-5}{10}$  mm. lata, plana  
v. leviter convexa, atra, opaca; hypothecium crassum, fusco atrum,  
lamina hyalina, 55—70  $\mu$ . alta, apice e viridi fusca; paraphyses  
apice capitato-clavatae, intense viridi-fuscae; subcohaerentes; asci  
circ. 50  $\mu$ . longi, obovoideo-cylindrici, rotundato-obtusi, apice pachy-  
dermei. Sporae in ascis octonae, hyalinae, 2-loculares, 12—17  $\mu$ .  
longae,  $2\frac{1}{2}$ — $4\frac{1}{2}$ -plo longiores quam latae, medio modice constrictae.

Thallus inter alienos Lichenes insulari-crescens, saepius orbicularis, diametro semicentimetalis v. paulo amplior, margine  
haud acute limitatus, extus intusque K et Ca Cl non mutatus  
v. paulo obscuratus nec aliter tinctus. Lamina sporigera solutione  
aquosa jodina primum sordide viridi-tincta, mox dein intense  
vinoso - v. cupreo-rubra. Paraphyses superne non articulatae. —  
Lichen primo intuitu parum insignis, quoad apothecia juniora  
bene *Lecideam crustulatam* juniorem simulans, sed thalli indole  
jam extus omnino diversus, in systemate juxta *Patellariam cinereo-*  
*virentem* Müll. Arg. in Fl. 1865 p. 49 inserendus est, a qua extus,  
siccus et madidus, colore thalli, apotheciis junioribus sessilibus,  
et dein praesertim ambitu oblongato sporarum distinguitur. Re-  
liquae species hujus sectionis omnes longius distant. A simili  
*Lecidea goniophila*, quae eodem loco etiam crescit, differt thallo  
magis incrassato, distincte areolato-rimoso et sporis. — Ambitus  
sporarum ut in Hepp Abbild. Spor. Fl. Europ. t. 46 n. 409, sed  
saepius utrinque magis rotundato-obtusus.

Habitat ad ripam Arvae prope Genevam, ad saxa  
alpino-calcarea nigricantia, cum *Calopismate vitellinello*  
Mudd, *C. genevense*, *C. converso* Krph., *Lecidea goniophila*,  
*Verrucaria glauca* et *Rinodina Bischoffii*  $\beta$  confragosa.

30. *Buellia* (sect. *Catocarpus*) *subocellata* Müll. Arg.  
Thallus tenuiter tartareus, rimoso-areolatus, suborbiculari-determi-  
natus, ex albido fuscescenti-cinereus v. humectatus virescenti-ci-  
nereus, protothallo atro limitatus; areolae angulosae, subplanae  
subcontiguae, saepe medio apothecium gerentes. Apothecia  $\frac{5-7}{20}$  mm.

lata, plane innata, nigra, opaca, linea subthallina tenuissime marginata v. immarginata v. demum margine proprio nigro tenuissimo et valde nano cincta, ambitu saepissime satis angulosa. Lamina cire. 75  $\mu$ . alta, hyalina v. superne virescens; hypothecium palliduu v. leviter fuscescens; epithecium viridi-fuscum; paraphyses apice modice incrassatae; asci circ. 55—60  $\mu$ . longi, oblongato-obovoidei, superne pachydermei. Sporae in ascis octonae, 2-loculares, fuscae, 15—21  $\mu$ . longae, medio modice constrictae, vulgo duplo, rarius  $2\frac{1}{2}$ -plo longiores quam latae, utroque latere rotundato-obtusae, rarius abbreviatim obtuse acutatae.

Juxta Buelliani ocellatam inserenda est, a qua thallo quodammodo albescente, apotheciis minoribus minusque prominenter marginatis et praesertim lamina superne virescenti-fusca et sporis majoribus distinguitur. A *B. spuria*  $\beta$  *minutula* Körb. Par. p. 183 cui etiam accedit, differt thallo obscuriore, apotheciis angulosis et sporarum forma et magnitudine. *B. Rittokensis* Hellb. magis distat. — Lamina tota J pulchre et intense coeruleascit. Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Spor. Fl. Eur. t. 61. n. 529.

Habitat parcissime in Salaevula s. Salaeva Minore prope Genavam, in fruticetis ad saxa arenaceo-calcarea, ubi etiam crescent: *Buellia stigmataea*, *Buellia ocellata*, *Rhizocarpon Heppianum* et *Lecanora Hageni* v. *lithophila*, quibus prior insulari-immixta est.

31. *Buellia* (sect. *Eubuellia*) *interjecta* Müll. Arg. Thallus crustaceus, subtartareus, areolato-rimosus, cinereo-v. demum olivaceo-nigricans, saepe inter thallum aliorum Lichenum quasi suboculte interjectus, nunc pulviniformis, nunc subgloboso-dispersus, nunc magis cohaerens et crustam crassiusculam formans. Hypothallus aterrimus. Apothecia in disco v. in margine areolarum sita, evoluta arctissime sessilia et immarginata, alte convexa, fusco-atra, opaca, intus aterrima,  $\frac{4-5}{10}$  mm. lata, juvenilia minora innato sessilia, leviuscule tantum emergentia, immarginata v. raro margine tenuissimo vix perspicuo non prominente cincta, mox convexa. Lamina circ. 55—65  $\mu$ . alta, subhyalina; epithecium fuscum v. atrofuscum; hypothecium crassissimum, fusco-atrum; paraphyses apice fusco incrassatae. Sporae in ascis subcylindricis octonae, 2-loculares, fuscae, tantum 8—11  $\mu$ . longae et  $2-2\frac{1}{2}$ -plo longiores quam latae.

Prope *B. badiam* Körb. Syst. p. 226 inserenda est, a qua colore et forma thalli, apotheciis junioribus haud prominenter marginatis et sporis minoribus differt. A *B. subbadia* Anzi

Analect. p. 18 differt apotheciorum margine et minutie sporarum. — Haud dissimilis *Rhodinae melanocarpeae* Müll. Arg. et similiter inter alios Lichenes subocculta, sed est vera *Buelliae* species et tota magis est obfuscata.

Habitat in saxis graniticis erraticis montis Salaevulae prope Genavam, inter thallum hinc inde rupium *Rhizocarpi geographicici*, ubi minus facile videnda.

32. *Buellia* (sect. *Eubuellia*) *Dubyana* v. *nigrescens* Müll. Arg. Thallus furfuraceo-crustaceus, rimulosus, olivaceo-fuscus v. demum olivaceo-v. fusco-nigricans. Apothecia turgido-marginata, concava, centro saepe umbonatae, dein planiuscula, demum convexa. Sporae 13—16  $\mu$ . longae, 2—3 $\frac{1}{2}$ -plo longiores quam latae.

Thalli color ut in *Verrucaria nigrescente* v. demum magis nigratus. Sporae ex uno eodemque apothecio nunc ut in *Lecidea Dubyana* Hepp Fl. E. n. 322, nunc ut in *L. Dubianoides* ejusd. l. c. n. 323.

Habitat in monte Salaevula prope Genavam, ad saxa calcarea bene soli exposita cum *Patellaria lutescens* et *Verrucaria lecideoidea* b. minuta.

33. *Buellia* (sect. *Karschia*) *leptolepis* Bagl. et Carest. in Comment. crit. it. 2. p. 83 (1864). — Thallus descriptus ad *Placodii chryssoleuci*  $\beta$  opaci (*Lecanorae polytropae*  $\gamma$  *orbicularis* Schaer. En. p. 81 pr. p.) initia v. fragmentula livido-nigrifacta v. cinerascentia spectat. Descriptioni l. c. datae addenda sunt: Apothecia  $\frac{3-4}{10}$  mm. v. rarius  $\frac{4}{10}$  mm. lata, opaca, v. demum nonnihil nitida. Lamina et hypothecium subhyalina; epithecium crassum, fusco-nigricans. Sporae tantum 6—9  $\mu$ . longae, 4—6  $\mu$ . latae, saepius tantum dimidio longiores quam latae v. subinde globoso-ellipsoideae, utrinque rotundato-obtusissimae v. subtruncato-obtusae.

Minutie et ambitu sporarum insignita est, et a *Buellia adjuncta* Th. M. Fries in Bot. Notis. ex Kremph. in Flora 1866 p. 316, quae in thallo *Placodii straminei* crescit, minutie et ambitu sporarum et paraphysibus conglutinatis differt. — Lamina J coeruleo-tincta.

Habitat in summo cacumine Monte Rosa, ubi nuperime a cl. C. de Candolle lecta est.

34. *Buellia* (sect. *Karschia*) *rimulicola* Müll. Arg. Apothecia in rimulis thalli alieni sita, eprotothallo oriunda,  $\frac{2\frac{1}{2}-4}{10}$  mm. v. rarius usque  $\frac{5}{10}$  mm. lata, sessilia, nigra, alte prominenter et crasse marginata, margo integer, cum disco plano opacus, siccus

et madidus concolor, semper prominens et validiusculus. Lamina 45—50  $\mu$ . alta; epithecium et hypothecium crassum fusca, reliqua laminae pars hyalino-fuscescens; paraphyses apice incrassatae et superne articulatae; asci circ. 35  $\mu$ . longi, evoluti oblongo-obovoidei (juniores obovoidei), late obtusati, superne modice pachydermei. Sporae in ascis octonae, 6—10  $\mu$ . tantum longae, 2—2 $\frac{1}{2}$ -plo longiores quam latae, medio modice constrictae, 2-loculares, fuscae.

Lamina solutione aquosa jodina primum pulchre coerulescit, mox autem vinoso-rubescit. — Juxta proximam *B. athallinam* Müll. Arg. Principes de Classif. des Lichens et Enum d. Lich. de Genève p. 64 t. 1 fig. 8 (quae a *Karschia talcophila* Körb. Par. p. 460 et Exs. n. 135 omnino diversa) locanda est, et a qua, sc. *B. athallina*, recedit apotheciis e prothathallo enatis, margine crassiore semper prominente, lamina magis nana et ascis brevioribus ambitu longe amplioribus quodammodo illos *Arthoniarum* referentibus. A *Karschia talcophila* Körb. jam forma apotheciorum et sporis minoribus discrepat. *Karschia pulverulenta* Körb. dein sporis bene evolutis 4-locularibus majoribus longe recedit, et *K. protothallina* gaudet apotheciis tenuiter marginatis mox planis. Etiam *Lecidea homoclinella* Nyl. in Flora 1872 p. 361 affinis est sed differt.

Habitat in rimulis thalli Pertusariae degradatae in monte Salève, cum *Lecanora Salevensi* et *L. atra*.

35. *Buellia* (sect. *Karschia*) *vagans* Müll. Arg. Apothecia in thallo alieno crustaceo sita,  $\frac{4-5}{20}$  mm. lata, v. raro paullo latiora, sessilia, subcoerulescenti-nigra v. impure cinerascenti-nigra, opaca, juvenilia distincte marginata, mox autem immarginata et valde convexa v. hemisphaerica, basi simpliciter sessilia necimmersa. Lamina circ. 60  $\mu$ . alta, incolor; epithecium e fusco aterrimum; hypothecium crassum, pallide fuscum v. inferne fusco-nigrum; paraphyses graciles, articulatae, apice (saepe bicapitato) valde capitato-incrassatae et nigratae, subliberae; asci 45—50  $\mu$ . longi, obovoideo-cylindrici, apice pachydermeo-incrassati. Sporae in ascis octonae, 9—10  $\mu$ . longae, longitudine diametrum 1 $\frac{1}{2}$ -plo aequantos, utrinque obtusissimae, fuscae, 2-loculares, medio constrictae.

Lamina J pulchre coerulescit. A *B. rimulicola* differt apotheciis minoribus, valde convexis, citissime immarginatis, haud pure nigris et ascis et sporis ambitu latioribus.

Habitat in monte Salève, in thallo et subinde in apothecis *Lecanorae polytropae* et *L. Hageni β umbrinae*, nec non juxta thallum in saxi nudi fragmentulis dispersa.

36. *Opegrapha atra* var. *persicina* Müll. Arg. Thallus tenuissime tartareus, continuus, amoene persicinus. Lirellae sessiles,  $\frac{3-6}{10}$  mm. longae,  $\frac{3-4}{20}$  mm. latae, saepius indivisae v. uno latere breviter uniramosae, subrectae. Sporae 12—15  $\mu$ . longae.

Varietas pulchella, praeter colorem thalli simillima *O. centrifugae* f. *confluenti* Arn. seu *Arthoniae confluenti* Körb. Ab *O. trifurcata* Müll. Arg. differt colore thalli et ambitu breviore lirellarum, et ab *O. Chevallieri* Leight. similiter thallo et ambitu breviore et rectiore lirellarum distinguitur. — Lamina solutione aquosa jodina primum coeruleo-dein mox vinoso-tincta.

Habitat ad saxa calcarea ad pedem montis Salève cum *O. saxicola* v. *centrifuga* Stizenb., *Thelidio umbroso* Mass., *Arthopyrenia saxicola* Mass., *Polyblastia caesia* Arn. et *Biatrina* Arnoldi.

37. *Opegrapha centrifuga* Mass.  $\beta$  *athallina* Müll. Arg. Lirellae absque thallo distincto in saxo nudo v. in thallo cum saxo conferruminato aliorum Lichenum (*Polyblastiae*, *Sagediae*, *Verrucariae*, *Lecideae immersae*) sitae, simpliciter sessiles, nec basi innatae.

Habitat in monte Salève ad saxa calcarea soli exposita sicca multis locis.

— —  $\gamma$  *parasitica* Müll. Arg. Lirellae inferne distincte in thalli crustacei alieni areolas immersae, saepius paullo minores.

Tota planta extus intusque adeo perfecte cum *O. centrifuga* quadrat, ut non satis obstantibus lirellis parasiticis, cum illa conjungi debeat. Lirellae  $\frac{2-4}{10}$  mm. v. rarius  $\frac{5-6}{10}$  mm. attingentes, late ellipsoideae, utrinque obtusissimae v. majores subinde utrinque acutiusculae et raro trifurcatae. Hypothecium crassum, fusco-nigrum; lamina inferne hyalina; epithecium olivaceo-fuscum; paraphyses depauperato-ramosae,  $1\frac{1}{2}$ —2  $\mu$ . crassae, articulatae, superne haud incrassatae. Asci cylindrico-ovoidei, superne non pachydermeo-incrassati, 60—65  $\mu$ . longi et circ. 16  $\mu$ . lati. Sporae in ascis octonae, 13—16  $\mu$ . longae, 5—6  $\mu$ . latae, dactyloideo-ovoideae, utrinque rotundato-obtusae, semper hyalinae. — A simillima *C. Monspeliensi* Nyl., quae *Leciographae* species, extus sporis incoloribus et lirellis basi magis innatis distinguitur.

Habitat in monte Salève, in muris cemento carentibus pascuorum, hinc inde thalli areolis Callopis-

matis chalybaei et Lecanorae calcareae v. viridulae inspersa, haud rara, sed propter colorem obscurum thalli alieni et minutie lirellarum aegre invenienda.

38. *Arthonia* (sect. *Naevia*) *stenospora* Müll. Arg. Thallus tenuissimus, pelliculas externas corticis e cinerascente v. fuscescente effuso-maculans v. obsoletus. Apothecia in pelliculis semi-immersa,  $\frac{2-3}{10}$  mm. lata, saepius dimidio longiora quam lata, interdum magis oblongata v. etiam saepe suborbicularia, raro obsolete angulosa, convexa, atra, opaca, primum epidermide velata. Lamina et hypothecium virescenti-pallida; epithecium olivaceo-fuscum. Ascii 30—35  $\mu$ . longi, late cuneato-obovoidei, late rotundato-obtusi, superne modice v. crassius pachydermei. Sporae in ascis 6—8-nae, 4-loculares, hyalinae, 14—27  $\mu$ . longae,  $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{2}$ ,  $\mu$ . latae, subfusiformes, utrinque obtusiusculae, superne leviter latiores.

Lamina sporigera solutione aquosa jodina pulchre coeruleo-tingitur. — Juxta *Arthoniam punctiformem* inserenda est, a qua, ut et ab omnibus affinibus sporis angustis circ. 5—6-plo longioribus quam latis differt. Ab *Arthonia betulinola* Mass. Descriz. p. 22. t. 3. fig. 1—8 jam forma apotheciorum magis regulari, haud acute angulosa, et dein ambitu sporarum differt. — Primo intuitu Arthopyreniam simulat. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Spor. Fl. Eur. t. 64. n. 555. fig. inferiore ad dextram.

Habitat in trunco juniore subemortuo Betulae albae prope Genavam.

39. *Endocarpon* (Hedw., Th. M. Fries) *Loscosi* Müll. Arg. Thallus monophyllus, exiguus, orbicularis, integer v. hinc inde obiter inciso-repandus, rarius leviter inciso-lobatus, totus adnatus et planus, margine tamen brevissime et leviter tantum adscendens, helvolo-olivaceus v. olivaceo-virens, sed margine et junior et evolutus semper pallidior, unde junior satis apothecia lecanorina simulat. Perithecia immersa, globosa v. ovoidea, v. etiam leviter depressa, tota nigra,  $\frac{3}{10}$  mm. lata, tantum punctulo nigro a mammilla exigua thallina pallidiore cincto cum mammilla circ.  $\frac{1}{20}$ — $\frac{1}{14}$  mm. lato emergentia. Nucleus nigrescens; paraphyses nullae; ascii 75  $\mu$ . longi, late cylindrici, obtusi, leptodermei. Sporae in ascis geminae, circ. 30—38  $\mu$ . longae et 12—17  $\mu$ . latae, utrinque rotundato-obtusae, medio haud raro panduriformi-angustatae, valde murali-divisae, evolutae fusae. Gonidia thallina globoso-ellipsoidea, circ. 10  $\mu$ . longa, late viridia; hymenalia numerosa, cubico-globosa, v. distincte longiora quam lata, tantum 5  $\mu$ . longa, caeterum thallinis concoloria.

Juxta *Endocarpon pusillum* Hedw. (*Dermatocarpon Schaereri* Körb.) locanda, quocum structura partium internarum satis convenit, sed multo minus, thallus aliter coloratus, margine non arcte adnatus et adpressus, sed brevissime liber et non nihil adscendens et dein constanter et insigniter pallido-marginatus est.

Habitat in Hispaniae prov. Aragonia prope Alcaniz, ubi in terra argillaceo-sabulosa leg. cl. Loscos.

40. *Sagedia* (sect. *Thelidium*) *impressa* Müll. Arg. Thallus tenuissime tartareo-subfarinosus, coerulescenti-cinereus, haud rimus, margine linea obscuriore nigricante plus minusve distincta v. obsoleta cinctus. Perithecia numerosa, subconferta,  $\frac{3-4}{10}$  mm. lata, alte hemisphaerica, basi truncata, apice demum impresso-umbilicata v. quasi truncata, nigra, obsoletè rugulosa, opaca, circa depressionem terminalem subinde obsolete brevissime radiatim fissa, caeterum vulgo integra. Nucleus subglobosus, basi truncatus, cinereus. Paraphyses nullae v. subobsoletae; asci circ. 45  $\mu$ . longi, obovoidei, late rotundato-obtusi, leptodermei, basi angustati. Sporae in ascis octonae, biloculares, hyalinae, 9—12  $\mu$ . longae, 6—7 $\frac{1}{2}$   $\mu$ . latae, i. e. ambitu latae, utrinque rotundato-obtusissimae, medio aequilatae v. distincte constrictae.

Planta fere omnino *Verrucariam limitatam* Krempelh. simulat, sed apothecia vertice punctato-depressa et sporae minutie et forma omnino aliae. Sporae ambitu latiores quam in *Sagedia minima* Hepp Fl. Eur. n. 944 et perithecia multo majora. Illinc etiam formam microcarpam *Verrucariae Dufourei* mentitur, sed linea protothallina minus evoluta et sporae diversissimae.— Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Spor. Flecht. Eur. t. 80. n. 700 fig. 2—3.

Habitat ad saxa calcarea ad pedem montis Salève, locis siccis.

41. *Segedia* (sect. *Thelidium*) *perexigua* Müll. Arg. Thallus tenuissimus, haud limitatus, caesio — v. plumbeo-cinereus, cum calce conferruminatus. Perithecia circ.  $\frac{3-4}{20}$  mm. lata, immersa, sub-integra, vertice haud emerso sed superficiem calcis attingente distincte deplanatulo-truncata, atra, opaca. Paraphyses nullae. Asci obovoidei, leptodermei. Sporae in ascis octonae, 25—35  $\mu$ . longae, subclavato-obovoideae, superne vulgo late rotundato-obtusae, inferne sensim angustatae, basi obtusiusculae, 4-loculares, hyalino-rubellae.

Habitu *Polyblastiam rupifragam* simulat, sed thallus magis caesius et perithecia minora. A proximo *Thelidio dactyloideo*

Arn. Flecht. aus Krain und Küstenl. p. 31. t. 8. fig. 6 ex descriptione et iconе differt colore thalli, defectu lineis hypothallinis et sporis evolutis minoribus nec fuscis nec dactyloideis. Sporae juniores adhuc 2-loculares ambitu angustiores sunt quam illae biloculares *Thelidii absconditi* Arn. — Sporarum forma ut in Hepp Abbild. Fl. Eur. t. 12. n. 98 fig. 1 ad sinistram et n. 96 fig. 3 a sinistra.

Habitat ad saxa calcarea ad pedem montis Salève, intermixta cum subsimili sed majore et pallidiore *Thelidio abscondito*.

42. *Sagedia* (sect. *Arthopyrenia*) *subconfluens* Müll. Arg. Thallus tenuissimus, subindistinctus, cum particulis corticis confusus, leprosus, cinerascens v. obsoletus. Hypothallus indistinctus. Perithecia  $\frac{3-4}{20}$  mm. lata, dimidiata, e basi latiuscule dilatata conico-hemisphaerica, apice rotundato-obtusa, pachydermea, laevia v. saepe anguloso-subrugulosa, atra, opaca, demum saepe collabescendo-subirregularia, e basi innata alte emersa, 2—5-natim confluentia et simul pro parte solitaria. Nucleus cinereo-albidus. Paraphyses indistinctae. Ascii 40—45  $\mu$ . longi, 16—21  $\mu$ . lati, ventricosi, oblongo-ovoidei, apice pachydermei, basi cuneato-angustati. Sporae in ascis octonae, 18—21  $\mu$ . longae,  $4\frac{1}{2}$ — $6\frac{1}{2}$ ,  $\mu$ . latae, 2-loculares, hyalinae, medio distincte constrictae.

Planta primo intuitu insignis peritheciis saepe in glomerulos parvos confluentibus, valde prominentibus, parvulis. Perithecia sunt multo minora quam in *Arthop. anallepta*, et rigide pachydermea ut in *A. lapponica* Anzi, semper opaca. Ab *A. globulari* Körb., cuius specim. orig. non vidi, ex descript. recedit peritheciis basi dilatatis nec inflexis, minoribus, confluentibus. — Habitu et forma ampla ascorum distinguenda. — Sporae ut in Hepp Abbild. Fl. Eur. t. 13. n. 105, caeterum ambitu valde ludentes, subinde ex minima parte angustae ut in *A. stenospora* Körb.

Habitat ad ramos ultimos et penultimos Pini Cembrae in Alpibus valesiacis supra lacum Champey, à la Braye, altit. circ. 7500 ped., et ad truncos Abietis in monte Salève.

43. *Psorotichia Flotoviana* Müll. Arg. Thallus tenuissime crustaceus, maculari-effusus, laevis, dein rimulosus, demum furfuraceus, fuscus v. atro-fuscus, hypothallo destitutus et gonidiis simplicibus pallide viridibus globosis v. subglobosis circ. 5—7  $\mu$ . longis praeditus. Apothecia  $\frac{5-6}{20}$  mm. lata, alte hemisphaerica, basi non nihil thallo obtecta, apice truncato inter marginem latum concavo-

depressa (pro more illa *Verrucariae Dufourii* simulantia), atro-fusca, thallo concoloria, v. madefacta fusca et nonnihil translucentia et apice distinctius foveolata; gonidia marginis crassi numerosa tetradice composita, rufescentia. Discus madefactus rufescenti-fuscus. Lamina circ. 75  $\mu$ . alta, fuscescenti hyalina; epithecium leviter fuscescens; paraphyses modice conglutinatae, latiusculae, non articulatae. Ascii circ 55  $\mu$ . longi, subcylindrici, inferne paullo latiores, leptodermei. Sporae in ascis octonae, irregulariter biserialis, simplices, hyalinae, 11—18  $\mu$ . longae, subduplo longiores quam latae, ellipsoideae v. ovoideae, utrinque obtusae. Spermatia in sterigmatibus simplicibus brevissimis perexigua, 2— $2\frac{1}{2}$   $\mu$ . longa, ellipsoidea, saepius dimidio longiora quam lata.

Habitu et characteribus proxime ad *P. Arnaldianam* Körb. Par. p. 434 accedit, sed omnibus partibus internis distinete minoribus, thallo non olivaceo-v. virenti-fusco sed atro-fusco, apotheciis thallo concoloribus i. e. magis obscuris et crassius marginatis disco leviter tantum aperto distincta est. Reliquae species numerosae hujus generis longius distant. Lamina solutione jodina aquosa sordide virenti-coerulea, dein rufescentia, K autem immutata.

Obs. De *Verrucaria Flotoviana* Hepp Fl. Eur. n. 92 auctores quam maxime dissentunt, allii in illa Lichenem gymnocarpicum, alii angiocarpicum viderunt, nec immerito. Sub eodem illo numero enim (fide ex. archetyp. Hepp., ex bibl. Hepp. in hb. meo) duae species editae fuerunt, altera gymnocarpica, quae (ex icona et magnitudine sporarum) vera *Verrucaria Flotoviana* Hepp (*Biatora Flotoviana* Müll. Arg. Lich. genev. p. 52, excl. syn. Körb.), hic sub *Psorotichia Flotoviana* descripta, altera autem pyrenocarpica (peritheciis minoribus magis immersis et sporis etiam minoribus), quae *Thelochroa Flotoviana* Körb. Syst. p. 334, et quae vera videtur *Porocyphi* species.

Habitat ad saxa passim inundata ad ripas flum. Sihl prope Zürich (b. Dr. Hepp) et ad flum. Arve prope Genevam hinc inde sat copiose.

44. *Psorotichia cleistocarpa* Müll. Arg. Thallus effusus, minutissime granulosus, ater, madefactus fusco-ater v. nonnihil purascenti-ater; granula dense sparsa v. subcontigua, verruciformia, alte convexa, subangulosa,  $\frac{1}{20}$  —  $\frac{1}{10}$  mm. lata v. etiam hinc inde quasi in thallum maculari-effusum difluentia. Apothecia in granulis thallinis solitarie inclusa, clausa, extus haud recognoscenda, caeterum nihilominus gymnocarpica; apex granulorum discum apthecii obtegens fere omnino e gonidiis rufis multiplicibus

compositus et pressione facile in glomerulos secedens, caeterum poro microscopico plus minusve pertusus est. Lamina 25  $\mu$ . alta, subaltior quam lata, hyalina, superne in epithecium pallide fuscescens abiens, basi ima strato gonidiorum multiplicium rufescens inserta; paraphyses graciles, apice modice incrassato fuscae, subconglutinatae. Ascii circ. 20—23  $\mu$ . longi, oblongo-obovoidei, late obtusi, apice paulo pachydermei. Sporae in ascis octonae, simplices, hyalinae, 7—9  $\mu$ . longae, 4—4 $\frac{1}{2}$ ,  $\mu$ . latae, oblongo-ovoideae v. ellipsoideae v. ambitu latiores. Gonidia primum lutescenti-viridia, circ. magnitudine sporarum, demum valde composita, glomerulos magnos formantia et rufescens-fusca.

Thallus fere ut in *Pyrenopsi leprosa* Anzi Anal. p. 5, Exs. 526, sed tenuius granulosus et madefactus fusco-nec virenti-ater et sporae multo minores. Thallus caeterum oculis simpliciter armatis stratum simulat Gloeocapsarum, et apothecia extus, etiam optimis lentibus, nullo modo certo distingui possunt, in granulis thalli frequentia inquirenda sunt. — Lamina solutione aquosa iodina laete coerulescit. — Affinis videtur *Pyrenopsi fuscataiae* Nyl. Syn. p. 97, sed thallus pluris tenuior et longe minutius granulosus. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Spor. Fl. Eur. t. 83 n. 724. fig. 3 infer.

Habitat ad saxa subinde inundata secus torrentem glacialem Dranse prope vicum Bovernier, in Vallonia inferiore, cum *Omphalaria Heppii* Müll. Arg.

Liceat hic Fungum addere:

*Sphaerella dealbans* Müll. Arg. Perithecia in thallo liehenaceo nidulantia, globosa,  $\frac{2}{10}$  mm. lata, ex thallo stellatim rumpente leviter emergentia, parte emersa circ.  $\frac{1}{10}$ — $\frac{1}{8}$  mm. lata, undique atra et opaca, demum circa medium circumscisso-rupta et alveolam (pariete peritheci) nigro-marginatam caeterum albida relinquens. Nucleus cinero-albidus, in peritheciis delapsis subniveus. Paraphyses nullae. Ascii circ. 45—50  $\mu$ . longi, subcylindrici, superne paulo latiores, obtusi, undique leptodermei, eximie hyalini; sporae in ascis octonae, irregulariter biserialis, biloculares, hyalinae, cylindrico-ovoideae, saepe distincte incurvae, utrinque obtusae, medio haud v. vix constrictae, 14—18  $\mu$ . longae, loculus superior inferiore paullo brevior et latior.

Perithecia majora sunt quam in reliquis speciebus lichenicolis notis et thallum infectatum totum mox albidum reddunt. Interdum centrum v. etiam majorem partem thalli densiuscule sed sparse v. subconfluenter occupant. In thallo eburneo facillime

perspiciuntur. — *Fungillus ille*, qui in *Endocarpo eburneo* DC. Fl. franç. vol. 6. p. 192 (1815) occurrit, male evolutus (hb. DC.), a S. dealbante diversus videtur.

Habitat in thallo *Endocarpi Loscosi*, prope Alcaniz, in Hispaniae prov. Aragonia: Loscos.

(Schluss folgt.)

## Diagnosen und Notizen zu Rehm's Ascomyceten

von  
Georg Winter.

### Fasc. L

1. *Ascobolus furfuraceus* Pers. 2. *Leucoloma (Peziza) carneae* (Pers.) = *Ascobolus* Fr. gesellig mit *Sporormia minima* Awd. 3. *Crouania (Peziza) asperior* (Nyl.) Diese Art unterscheidet sich von der *Cr. humosa* (Fr.) u. a. durch die eingesenkten Cupulae, deren Farbe ein blassgelbliches Braun ist, und besonders durch die sehr stachlich - rauhen, grösseren Sporen. 4. *Crouania (Peziza) humosa* (Fr.) 5. ? *Humaria (Peziza) hemisphaerica* (Wigg.) Sporen mit warzigem Episporium! Dieser Charakter der Sporen wird weder von Fuckel, noch Nylander, noch Karsten erwähnt, doch scheint er bei der Art constant zu sein, da ihn meine sämmtlichen Herbar-Exemplare aus verschiedenen Localitäten, zum Theil von Auerswald als *P. hemisphaerica* bestimmt und vertheilt, zeigen. Allerdings sind die Wärzchen sehr klein und leicht zu übersehen, was wohl der Grund sein mag, dass sie nirgends erwähnt werden. Im Uebrigen stimmen vorliegende Expl. genau mit den Diagnosen der *P. hemisphaerica* überein, so dass wohl kein Zweifel an der richtigen Bestimmung ist. 6. *Humaria (Peziza) gregaria* Rehm nov. spec. Synon: *P. hemisphaerica* f. *minor* Nyl., *Pez. fenn.* p. 21. ? exs.: Rabenhorst, fungi eur. 27. (sub *P. hirta*), fungi. eur. 1220. (sub. *P. brunnea*, quae minime Fuckel, fungi. rhen. 1217. nec Nyl., *Pez. fenn.* p. 21.) Cupulis gregariis, sessilibus, hemisphaericis, concavis, 1—2,5 Mill. latis, margine involuto, demum apertis, difformibus, repantis, extus brunneis, pilis rigidis, fasciculatis concoloribus, septatis, strigose densissimeque obsitis, disco livido-fusco, demum pallidiore. Ascis creberimis, elongato-cylindraceis, stipitatis, 110-150 Mikr. long., (pars sporifer), 10-14 Miks. lat! paraphysibus filiformibus,

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1872

Band/Volume: [55](#)

Autor(en)/Author(s): Müller J.

Artikel/Article: [Lichenum species et varietates novae 497-508](#)